

§ 14. Sermo est tota Asia dissupatus Cn. Pompeium, quod L. Flacco esset inimicus, contendisse <a> Laelio, paterno amico.

Summa diligentia, cum intellegat orator obesse reo plurimum posse auctoritatem Cn. Pompei, si accusatoribus 5 contra reum favere videatur, eripere temptat hanc persuasionem, quasi Laelius falsi huius rumoris auctor extiterit, nihil vero Pompeius in Flacci perniciem cogitaverit. Sed enim quod paternum amicum Cn. Pompei Laelium dicit, opinor ad tempus belli Sertoriani esse referendum, 10 quo ... Ibidem Laelius, pater huius, ab Hirtuleianis interfectus est, ut ait Sallustius: *receptis plerisque signis militaribus cum Laeli corpore.*

Et praedonum et regum bello liberavit.

Scimus Gabinia rogatione victos esse ab Cn. Pompeio 15 imperatore piratas. Quod ad reges pertineat ab eodem superatos, Tigranem significat Armeniae et Mithridatem Cappadociae regem.

Adiunxit illa, ut eos, qui domo exire volebant, testimonii denuntiatione terreret; qui domi 20 stare non poterant, largo et liberali viatico commovebat.

Calumniosa Laeli ostenditur accusatio, quod ei se testes non ultro secundum fidem veritatis obtulerint, sed ab eo vel minis compulsi sint vel pecunia corrupti. In 25 superiore enim parte nolentes Romam proficisci territos ab illo dicit denuntiatione veniendi, ut cogerentur ea de Flacco mandare, quae nollent. Verum in sequenti parte obscurius aliquanto locutus est. Ait enim: *qui*